



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XCVII. De Feudo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

Feci in ea multa melioramenta. Si vellem accipere ab aliquo pecuniam ad Livellum super hac domo, possem; dummodo nihil præjudicaretur primæ pensioni Livellaria.

CAPUT XCVII.

De Feudo.

1. *Quer.* Quid sit Feudum? *Resp.* Est contractus juris civilis, quo quis tradit Vasallo rem suam immobilem quoad dominium utile, cum onere obsequii, seu servitii. Nicol. *disq.* lib. 3. tit. 25. num. 9.

2. *Quer.* An sit antiquus iste contractus? *Resp.* Esse antiquissimum; nam de eo mentio habetur 1. Machabæor. 7. 8. De Bacchide feudatario Regis Demetrii, ubi vocatur fidelis Regi; nam idem est esse fidelem Regi, & vasallum Regis; ut ex Tito Livio probat Nicol. in *Floscul.* Verb. Feudum num. 3.

3. *Quer.* Quotuplex sit Feudum? *Resp.* Feudum est Triplex. Primum ex Pacto, & Providentia; & hoc transit in descendentes Agnatos, licet non sint hæredes primi acquirentis. Secundum Hereditarium; & hoc transit etiam ad extraneos, dummodo sint hæredes primi acquirentis; quamvis de fœminis dubitet Peregrin. in *Decis.* Patavinis *decis.* 151. num. 37. Tertium est Feudum mixtum, quod transit ad legitimos descendentes, dummodo etiam sint hæredes primi acquirentis. Monald. *tom.* 2. *conf.* 17. à num. 19. & *seqq.* ubi scribit de Feudis Episcopatus Paduani.

4. *Quer.* Quale censendum sit Feudum, si in dubio simus circa prædictas species? *Resp.* Quod in dubio præsumitur Feudum ex pacto, & providentia. Menoch. *consil.* 160. num. 30. Ludovisi. *decis.* 418. num. 13. & ibi *Add.* num. 18.

5. *Quer.* An sit Feudum illud, in quo non est impositum onus obsequii, seu servitii? *Resp.* Illud esse Feudum improprium, & esse transitorium ad quoscunque hæredes. Othobon. *decis.* 265. Rota *part.* 12. *rec.* *decis.* 237. & Menoch. *conf.* 65.

6. *Quer.* Quæ sint conditiones Feudi propriæ sumpti? *Resp.* Sunt quinque. Prima, ut sit onus obsequii, seu servitii, puta defendendi dominum in bello cum tot armatis, sumptibus Vasalli. Secunda, ut dominium directum stet apud dominum, utile verò apud Vasallum. Tertia, ut sit de re immobili, & cui sit annexa Jurisdictio civilis, vel criminalis. Quarta, ut Vasallus non alienet Feudum sine consensu domini. Quinta, ut Vasallus præstet servitium debitum, cum à domino requiritur. Si deficiat prima aut tertia conditio, Feudum est potius Emphyteusis, quàm Feudum. Nicol. *d.* lib. 3. tit. 25. *sub* num. 9.

7. *Quer.* An Feudum transeat in Monasterium, si Feudatarius fiat Monachus? *Resp.* Affirmativè, eius vita durante, dummodo servitium præstandum possit honestè præstari à Monasterio. Fagnan. in *cap. Quo in Ecclesiæ* *statum* num. 58. de *Constitut.*

8. *Quer.* An Feudorum liber sit liber Authenticus? *Resp.* Affirmativè, exceptis his, quæ repugnant Ecclesiasticæ libertati. Fagn. *ibid.* num. 94. & *seqq.*

9. *Quer.* An linea finita, & Feudo ad dominum revertente, possit ultimus hæres petere à domino pretium melioramentorum rei Feudalis? *Resp.* Affirmativè. Nicol. *lib.* 4. tit. 6. de *Actionibus* num. 303. *tom.* 1.

10. *Quer.* Quando Feudum dicatur hereditarium, & transeat ad hæredes etiam extraneos? *Resp.* Quando in prima investitura Feudum concessum fuit pro se, suis, & hæredibus quibuscunque. Monald. *tom.* 2. *conf.* 17. num. 19.

11. *Quer.* Quodnam sit Feudum ex Pacto, & Providentia? *Resp.* Esse illud, quod fuit acquisitum pro se, & filius, descendantibusque ab eis. nulla facta mentione de hæredibus. Monald. *ibid.* num. 20.

12. *Quer.* Quale sit Feudum mixtum? *Resp.* Quando obtentum fuit pro se, filius, ac hæredibus. Monald. *ibid.* num. 21. & 22.

13. *Quer.* Si plures sint consortes Feudatarii in eodem Feudo; an, finita linea unus ex consortibus, Feudum devolvatur ad dominum, an ad alios consortes? *Resp.* Si à principio fuit acquisitum à pluribus consortibus pro se, suisque descendantibus; tunc una linea extincta, Feudum devolvitur ad dominum. At si ab uno tantum fuit acquisitum, & postea descendentes ab eo divisissent Feudum in tot portiones; in hoc casu, si una linea extinguatur, devolvitur ad alios consortes. Menoch. *conf.* 464. Seraphin. *decis.* 1023. Tondut. *tom.* 2. *quest.* Canon. *cap.* 177.

14. *Quer.* An linea extincta, per quam Feudum devolvitur ad dominum, sit necessaria sententia declaratoria super devolutione, an verò possit dominus absque alia sententia investire novem Vasallum? *Resp.* Posse investire absque alia sententia super devolutione. Monald. *conf.* 96. num. 9. *tom.* 1. ubi scripsit ad favorem Comitis Leonelli Clericati Nob. Vicentini mei Consanguinei.

15. *Quer.* An Feuda Episcopatus Paduani transeat etiam ad fœminas in defectu Masculorum? *Resp.* Affirmativè, nisi in investituris sint per expressum exclusæ. Silvaticus in *suis Consiliis* *tom.* 2. *conf.* 56. num. 60.

16. *Quer.* Qua de causa Episcopi Paduani, & fere omnes Episcopi, dederint in Feudum tot, & tantas Decimas personis Laicis, quæ aliàs sunt incapaces Decimarum? *Resp.* Causam fuisse, ut defenderent Episcopum, & Ecclesiam ab Hæreticis, & aliis oppressoribus. Vide Glossam in *cap. Quamvis.* 17. in *Verb. Concesserit*, de *decim.*

17. *Quer.* Quando fuerit prohibitum Episcopis dare Decimas Laicis in Feudum? *Resp.* Fuisse prohibitum in Concilio Lateranensi, ut *cap. Prohibemus.* 19. de *Decimis.*

18. *Quer.* Quo tempore, & sub quo Pontifice celebratum fuerit dictum Concilium Lateranense, & facta prohibitio infeudandi

dandi Decimas? *Resp.* Lateranense Concilium, in quo Feuda fieri de Decimis prohibitum fuit, non illud Generale fuisse, quod sub Innocentio III. celebratum fuit anno 1215. à quo tot, & tanti Canones leguntur desumpti per Gregorium Nonum; sed fuisse Concilium in Laterano celebratum ab Alexandro Tertio de Anno 1179. quod non dicitur generale, sed vocatum ad hoc, ut prohiberentur Feuda Decimarum, ut ex DD. probat Moneta de Decimis, cap. 5. quest. 3. num. 67. & 68.

19. *Quer.* An dictum Concilium Lateranense dampnaverit etiam concessionem Decimarum ante factas? *Resp.* Negativè. Et licet contrarium videatur innuere dictum cap. Prohibemus 19. de Decimis; tamen illud est intelligendum vel de Decimis obtentis sine legitimo infeudationis jure; vel de Laicis non exhibentibus Ecclesiæ debita obsequia, & servitia, quæ ratione Feudi exhibere tenentur, ut ex DD. probat Moneta de Decimis dict. cap. 5. quest. 3. numer. 66. & 67.

20. *Quer.* An Papa possit dare in Feudum aliqua bona, aut jurisdictionem Ecclesiæ Romanæ? *Resp.* Negativè. Istante Bulla prohibitoria S. Pii V. 35. Incip. *Admonet nos*, Cujus Bullæ observantiam jurant omnes Cardinales in assumptione Pilei, sub pœna perjurii, & perpetuæ infamiæ; quam Bullam confirmavit Urbanus VIII. per Constitutionem suam Incip. *Sacrosancti*, Anno 1623. ut notat Thesaur. de Pœnis Eccles. part. 2. in Verb. *Alienatio* cap. 3. in fine. Illustris. Baptaglin. in *Annal. Sacerdotii & Imperii* Anno 1623. num. 11.

21. *Quer.* An Judices Laici possint judicare causas Feudorum Episcoporum concessorum ante Concilium Lateranense? *Resp.* Secundum modernos DD. affirmative; quia docent, Decimas habitas in Feudo ab Episcopis ante Concilium Lateranense effectas esse bona allodialia, & in commercio Laicorum; addò, ut ab eis possint vendi, dari in dotem, & alienari, tanquam res profanas. Nicolaus Noalis *conf.* 60. num. 9. per totum.

22. *Quer.* Quando probentur Feuda Decimarum facta ante Concilium Lateranense? *Resp.* Quando possessa sunt à Laicis per tempus immemorabile, & de cujus initio non constat, tunc enim præsumuntur facta ante Concilium Lateranense. Nicol. Noalis *conf.* 81. num. 1. & 2. ubi DD. Quod procedit, quamvis exhibeantur plures investiturae, quando de prima investitura non constat. Rota part. 15. recent. decis. 375. num. 7.

CAPUT XCVIII.

De Societate.

1. *Quer.* Quid sit Societas? *Resp.* Est duorum, pluriumve conventio, honestè contracta, ad uberiores quæstum, & commodiorem usum. Nicol. lib. 3. tit. 26. in princ.

2. *Quer.* An sit aliquis prohibitus, inire

Societatem, vel contrahere cum aliquo? Esse prohibitos, 1. Medicos cum Aromatariis. Greg. XIII. *Const.* 29. Incip. *Officii nostri*. 2. Eosdem Medicos cum Infirmis, durante Infirmirate. l. 3. ff. *De Var. & Extraord. cognit.* 3. Advocatus cum cliente; durante lite. l. *Quisquis* 6. C. *de Postul.* & 4. Carceratos cum Judicibus, seu è contra. l. *Qui carcerem*, 22. ubi Gloss. ff. *Quod metus causa*.

3. *Quer.* Quot modis fieri possit Societas? *Resp.* Duobus modis, Aut generaliter de omnibus bonis Sociorum. Aut specialiter de aliqua re, negotio, vel individua specie Mercaturæ. Nicol. ubi supra d. lib. 3. tit. 26. num. 2.

4. *Quer.* Quomodo dividantur lucra, & damna inter Socios? *Resp.* Servandas esse sequentes Regulas. Prima est, si factum sit pactum, quòd unus habeat duas partes lucris; intelligitur, quòd habere debeat etiam duas partes damni. Secunda est, Si quis possit duas partes capitalis, & alter unam partem; primus habebit duas partes lucris, alter unam tantum partem. Tertia est, si unus ponat industriam, & alter sortem, tunc lucrum erit æquale. Quæ procedunt, ubi expresse conventum non sit inter Socios de lucro, & damno. Nicol. ubi supra num. 3.

5. *Quer.* An conventio valeat, ut unus habeat partem lucris sine damno? *Resp.* Affirmative, si plus contribuat in sorte, vel in industria. Porro, quòd unus habeat totum lucrum, alter verò totum damnum, conveniri non potest, quia esset Societas Leonina. §. *De illa*, *Inst. eod. tit.*

6. *Quer.* Quot modis finiatur Societas? *Resp.* Finiri per renunciationem, per mortem, & finitò negotio, seu tempore, in quo fuit conventum, ut duraret Societas. Nicol. ubi supra num. 4.

7. *Quer.* An Socius teneatur de levissima culpa? *Resp.* Negativè, sed tantum de dolo lata, & levi. §. *Fin. Inst. de Societate*.

8. *Quer.* An Socius possit pacisci cum Socio, ut sibi det certam summam lucris liberam ab omni damno, & ab omni periculo? *Resp.* Affirmative, si in eo contractu alium contractum, qui *Assurationis* vocatur, incant; & illa summa sit multò inferior, quàm si vellet stare etiam periculo. cap. *Per vestras*, 7. de *Donas. inter virum, & uxorem*. Navar. in *Man. cap.* 17. num. 255.

9. *Quer.* Quot modis possint Animalia dari ad Societatem? *Resp.* Tribus modis. Primò, cum unus dat Animalia ad laborandum, & alius ponit industriam. Secundo, cum dantur Animalia ad custodiam, & alter ea servat, & foetus venduntur. Tertiò, cum sub statuta mercede Animalia ad opus traduntur. In quibus casibus Animalia debent semper stare periculo conferentis. Nicol. ubi supra d. lib. 3. tit. 25. num. 7.

10. *Quer.* Quomodo fieri possit Societas officiorum? *Resp.* Romæ esse communissimam hanc Societatem inter Cursores, Notarios, & similes; & fieri præcipue duobus modis. Uno, quando duæ personæ de com-

muni